

William Camden
Britannia (first edition)
London
1586

BRITANNIA

SIVE
FLORENTISSIMORVM REG=
NORVM, ANGLIÆ, SCOTIÆ, HI=
BERNIAE, ET INSVLARVM AD=
iacentium ex intima antiquitate
Chorographica descriptio,

Authore
GVILIELMO CAMDENO.

LONDINI,
Per Radulphum Newbery.
Cum gratia & priuilegio Regiæ Maiestatis.
1586

.....

163

Cantium. Kent.

Ad Cantium nunc perueni, quam
regionem licet Guilielmus
Lambardus, vir insigni eru=
ditione, & moribus sanctissimis
ornatissimus, adeo graphice iu=
sto volumine descripserit, vt cu=
riosa eius fœlicitas paucula aliis
reliquerit; pro suscepti tamen o=
peris ratione, eam quoque percur=
ram, & ne sublesta, vt inquit Co=
micus, fide me agere quis existimet, eum mihi fundum, &
fontem fuisse libens merito hic agnoscam.

Nomine antiquo non dum tempus hanc regionem spoli=
auit, sed vt Cæsari, Straboni, Diodoro Siculo, Ptolemæo, &
reliquis Cantium dictum fuerit, sic Saxonibus, teste
Nennio, Cantgwarlantd, id est regio virorum Cantium
incolentium, & nobis Kent. Hoc nomen a Cainc, quæ Bri=
tannis frondem sonat, quia olim syluis opaca fuerit, deducit
Lambardus. Ego vero, (si coniecturam interponere liceat)
cum ingenti angulo in Ortum hic Britanniam excurrere
viderim, obseruarimque eiusmodi angulum in Scotia Cantir

164

dici, incolas item alterius anguli, in ea parte insulæ Cantas
Ptolemæo vocari, Canganos etiam in Wallia alterum an=
gulum tenuisse, (vt taceam Cantabros, qui angulum etiam
inter Celtiberos insederunt) qui vt vnus originis, vnus lin=
guæ, cum nostris Britannis fuere; coniectarim a situ nomen
inditum, eoque magis, tum quod Galli nostri, * Canton pro
angulo vsurparint, & a veteri (vt probabile est) Gallo=
rum lingua: non enim e Germanica, vel Latina est, quæ
cum illa vetusta, huius recentioris Gallici idiomatis sunt
matrices: tum quod Angulus hic ager a veteribus omni=
bus Geographis dicatur. Grandi etenim angulo Galliam
prospectat, Tamisis æstuario, & Oceano omni ex parte cir=
cumfusum, nisi qua ad occidentem Solem, Surreiam conter=
minam habet.

* Vnde Can=
ton in arte
Heraldica pro
angulo, &
Heluetiorum
pagi Canto=
nes, quasi an=
guli a Gallis
dicti.

Plin. lib. xv.
cap. xxv.

Regio est inæqualis, ad occasum planior, & syluis vm= brosa, ad ortum surgentibus collibus excelsior. Incolæ, qua a Tamisi ad Austrum patet, in tres areas, siue portiones (Gradus vocant) distinguunt, quarum superiorem ad Tamisim salubrem, sed minus opulentam esse ferunt, mediam, & salubrem, & opulentam: inferiorem vero opulentam, sed insalubrem, vtpote quæ magna ex parte est vliginosa. Pratis tamen pascuis, aruisque vbique fere læta, pomis ad miraculum abundans, nec non Cerasis, quæ anno a Roma condita 680. in Italiam e Ponto deuecta, & vicesimo supra centesimum post anno in Britanniam translata, foelicissime hic proueniunt, multumque agri occupant, arboribus in quincuncem, iucundissimo spectaculo directis. Villas, & oppida habet frequentissima, stationes satis tutas, ferri venas nonnullas, sed aerem crassiusculum, ob halitus ex aquis euaporantes. Incolis ea humanitatis laus, quam Cæsar olim tribuit, etiamnum iure debetur, vt virtutem bellicam taceam, quam tantam in Cantianis fuisse Monachus quidam scripserit, vt in procinctu, exercitus frons illis tanquam triariis, merito inter Anglos debeatur. Quod etiam comprobabat in suo Polycratice Ioannes Sarisburiensis. 'Ob egregiæ,' inquit, 'uirtutis meritum, quam potenter, & patienter contra Danos exercuit Cantia nostra, primæ cohortis honorem, & primos congressus hostium vsque in hodiernum diem in omnibus præliis obtinet.' Quorum etiam in laudem scripsit Malmesburiensis. 'Gens rustica, & vrbana Cantii, plusquam cæteri Angli, antiquæ nobilita=

165

tis conscientiam adhuc spirat, & ad honorificentiam, & hospitium cuiuslibet pronior, & ad pulsandas iniurias serior.'

Cæsar, de quo postea plura dicemus, cum primum insulam nostram aggredere, in hac regione terram conscendit, nauibusque egredi a Britannis Cantianis prohibitus, littore non sine graui pugna potitus est. Cum secundo etiam nos adiret, hic exercitum exposuit, Britannique cum equitatu & essedis ad Sturum flumen animose exceperunt, sed a Romanis cito repulsi se in syluas subdlexerunt. Inde cum equitatu Romano acriter prælio in itinere conflixerunt, ita tamen vt Romani omnibus partibus superiores fuerint, at intermisso spatio rursus in Rom. impetum fecerunt, per medios audacissime perruperunt, interfectoque Laberio Duro, militum Tribuno, incolumes se receperunt, posteroque die ad pabulatores aduolarunt, &c. quæ apud ipsum Cæsarem legas. Quo tempore Cantio præfuerunt, Cyngetorix, Caruilius Taximagulus & Segonax, quos ille, vt reges deuicisse videatur, Reges vocat, cum tantum Reguli fuerint, vel melioris notæ nobiles. Constabilito Romano Imperio, sub Præsede Britannicæ Primæ censebatur. Ora vero maritima, quam Littus Saxonicum dixerunt, vt etiam littus oppositum a Rheno ad Xanctones præfectum habuit a Diocletiani tempore, quem Marcellinus 'Tractus maritimi Comitum,' Notitiarum liber 'Spectabilem virum littoris Saxonici Comitum per Britanniam' vocat, Cuius munus erat littus per opportuna loca præsidiis ad barbarorum latrocinia reprimenda communire. Sub dispositione autem erat illustris Magistri peditum quem Præsentalem dixerunt, qui præter præsidia ad portus, in omnia momenta Victores Iuniores Britannianos, Primanos Iuniores, & Secundanios Iuniores, (hæc sunt cohortium nomina,) illi assignauit. Officium autem habuit hoc modo. 'Principem ex officio magistri præsentium a parte peditum, Numerarios duos, Commentariensem, Cornicularium, Adiutorem, Subadiuuam, Regerendarium, Exceptores singulares, &c.' Nec dubito, quin maiores no=

Comes littoris
Saxonici.

Liber Notitiarum.

stri hoc Romanorum institutum imitati fuerint, cum præfectum siue Limenarcham huic oræ præfecerint, quem quinque portuum Guardianum vulgo vocitant, quia, vt Comes littoris Saxonici nouem, ita quinque portubus præsit. Cum autem Romani e Britannia cesserent, Vortiger=

166

nus, qui maximæ Britanniæ parti cum imperio præfuit, primum Cantio Guorungum præfecit .i. Proregem, siue Libertum, quo nescio, hanc regionem, (vt habent Nennius, & Malmesburiensis) statim Hengisto Saxoni, in gratiam Rowennæ eius filiæ, quam misere deperibat, gratis concessit. Hinc primum Saxonum in Britannia regnum anno Christi 456. constitutum, illis Cantwara-ric dictum, quod post annos 320. Balredo ultimo rege deuicto, in occiduorum Saxonum potestatem deuenit, quibus ad Normannorum vsque imperium paruit. Tunc enim Cantiani ad Suanescombe (viculus est, vbi Suenum Danum olim castrametum ferunt,) ramos prætendentes ea lege Guilielmo Normanno se dederunt, vt patrias consuetudines illæ retinerent, illamque inprimis, quam Gauelkind nominant. Hac terræ; quæ eo nomine censentur, liberis masculis ex æquis partibus diuiduntur, vel fœminis, si masculi non fuerint. Hac hæreditatem cum xv. annum attigerint, adeunt, & sine domini consensu, cuiuslibet vel dando, vel vendendo alienare licet. Hac filii parentibus furti damnatis in id genus fundis succedunt, &c. vt vere, quamuis minus pure in antiquo libro sit scriptum. 'Dicit Cantii Comitatus quod in Comitatu isto de iure debet de eiusmodi grauamine esse liber, quia dicit quod Comitatus iste, vt residuum Angliæ, nunquam fuit conquestus, sed per pacem factam se reddidit Conquestoris dominatui, saluis sibi omnibus libertatibus suis, & liberis consuetudinibus primo habitis & vsitatis.' Deinceps Guilielmus victor, vt Cantium, quæ tanquam Angliæ clauis habetur, sibi firmiter retineret, Constabilem Castro Douerensi, eundemque Limenarcham v. portubus ex veteri Romanorum instituto præfecit. Hi sunt Hastings, Douer, Hith, Rumney, & Sandwich, quibus Winchelsey, & Rye, vt præcipua, & alia oppidula vt membra adiunguntur. Quæ quia bello maritimo operam nauare tenentur, immunitatibus gaudent multis & magnis; ipseque Limenarcha, qui semper aliquis est e proceribus nostris fidei spectatissimæ, in sua iurisdictione Admiralli auctoritatem in plurimis, aliaque iura habet, quæ nunc magna cum laude exercet Limenarcha noster nobilissimus, & prudentissimus D. Guilielmus Baro de Cobham regiæ maiestati a sanctoribus consiliis, & magnus literarum patronus. Sed iam ad loca.

167

Septentrionalem huius regionis partem, Tamisis Britannicorum fluminum præcipuus, vt iam dixi, alluit, qui Surreiam prætergressus statim sinuoso flexu, fere in se ductus, primum Grenouicum adit, vulgo Greenewich, .i. sinus viridis (fluminis enim sinus Wic Germanice dicitur) Danicæ classis statione, & Danica in Ealphegum Archiepiscopum Cantuariensem, quem, anno Christi 1011. exquisitis tormentis trucidarunt, immanitate olim notissimus. Nunc vero Regiis ædibus celeberrimus, quas Humfredus Dux Glocestrensis ædificauit, Placentiamque dixit, & Henricus VII. magnifice adauxit. Cum antea Reges ad Eltham secederent, vix trium miliarium hinc diuerticulo, quam Anthonius Beccus Dunelmensis Episcopus, & Hierosolymitanus Patriarcha extruxit, Æleonoræque Reginæ

The
Breach.

Edwardi primi vxori donauit, cum Vessorum hæreditatem interuertisset, ad quos locus iste prius spectauit. Episcopus enim ille, quem vltimus Baro de Vessy fiduciarium hæredem sibi scripsit, vt hæreditatem Guilielmo de Vessy filiolo Spurio traderet, vix bona fide cum pupillo egisse, traditur. Infra Grenwicum, Tamisis diuulsis aggeribus, quam plurima terræ iugera oppressit, quocum annos complusculos, nonnulli immensis sumptibus luctati, vix molibus agendis, adiacentes agros, contra irruentes vndas tueri possunt. Tamisis deinde ripis suis coarctatus Darentum flumen obuium habet, qui e Suthreia demissus leni alueo vndas ducit per Ottaford, nunc Otford Danicæ stragis anno 1016. consciam, Regiisque ædibus superbam, quas Warhamus Archiepiscopus Cantuariensis tanta magnificentia, sibi, & suis successoribus construxit, vt ad amoliendam possessionis inuidiam, cum Henrico Octauo commutare necesse habuerint. Darentus ad ostium Darentford, vulgo Dartford, amplum, & frequens forum suo nomini adsciscit, sub quo Crecca riuulus vna commiscetur; ad cuius vadum Crecanford, nunc Creyford, Hengistus Saxo octauo a Saxo num ingressu anno, signa cum Britannis contulit, cæsisque ducibus, tanta strage protriuit, vt ab illis nihil sibi deinceps metuerit, & regnum in Cantio securus constituerit.

A Darento ad Medweagi ostium nihil suspicit Tamisis præter oppidula, quæ tacitus præterire, nullum famæ, rerumue dispendium. Inter ea primas tamen ferunt Graues-

168

end notum, si quod aliud Angliæ oppidum, vtpote statio inter Cantium, & Londinum, vbi vtramque ripam propugnaculis communiuit Henricus Octauus, & Cliffe, a cliuo ædito, cui insidet nominatum, Synodo olim celebre, & Clives at Ho Bedæ dictum. Ho enim vocatur illa quasi Chersonessus, quæ Tamisim, & Medweagum fluuium intersita, hic longe se in Ortum immittit.

Weald.

Medwege fluuius, nunc Medway (Britannice nisi me veritas fugit, Vaga, cui Med Saxones addiderunt) fontes habet in Anderida sylua, quæ Wealde, id est, regio ðneme-rosa Saxonibus dicta, & meridianam huius agri partem late occupat. Primum dum tenuis est, Tunbridge præterfluit, vbi vetus est castellum quod Gislebertus Comes de Clare construxit, qui commutationis iure pro Brionio in Normannia accepit: eius enim proauus Godfredus, naturalis Guilielmi Ducis Normanniæ secundi filius Aucensis, & Brionii comes erat. Veruntamen Manerium, vt vocant, de Tunbridge eius successores Glocestriæ Comites clientelari iure ab Archiepiscopis Cantuariensibus ea lege tenuerunt, vt Archiepiscopis in intronisatione Senescalli, & eorum liberi in tutela essent. Inde Maidston petit, quam cum Saxones Medweageston dixerint, Vagniacas esse illas credo, quas Antoninus memorat, & Nennius in suo vrbium catalogo, Caer Megwad corrupte, pro Medwag vocarit: nec sane distantiae ratio repugnat: hinc a Nouio mago, inde a Durobroui, de qua mox agemus. Oppidum hoc est frequens & cultum, magnaue longitudine extensum. In medio Archiepiscopi Cantuarienses palatium, ab Vffordo inchoatum, & ab Islepo absolutum habent; alterum item publicum totius huius agri ergastulum hic constituitur, immunitatesque plurimas Reginæ Elizabethæ fert acceptas, quæ Maiorem summum magistratum instituit, pro Portgreuo, quem prius habuit, quod innuo, quia antiquum hoc sit Saxonium vocabulum, & apud Germanos etiam annum rectorem denotet, vt Markgraue, Reingraue,

Landgraue, &c. Hic sub Vagniacis, ab oriente sole, fluuiolus Medwegæ consociatur, qui ad Leneham surgit, quæ Antoini sine controuersia Durolenum est, perperam in nonnullis exemplaribus Duroleuum. Durolenum enim Lenum aquam Britannis sonat, & præter nominis reliquias,

169

distantia etiam a Cantuaria, & Roffa, hoc esse Durolenum comprobatur; ut taceam situm ad viam Consularem Romanorum, quæ olim a Dubri (ut author est Higdenus Cestrensis) per medium Cantium duxit. Nec aliud appositum habet hic fluuius, quod memorem præter Leedes, quæ Creuequerorum nobilium opus, postea Baronis Badilsmeri inauspicata sedes, qui illud perfide contra Edwardum secundum, a quo dono acceperat, communiuit, sed postea meritas perfidiæ pœnas capite soluit. Hinc Medweagus per vberima arua decidens Ailesford peruenit, Saxonice Eaglesford, Henrico Huntingdonensi Elstre, Nennio Epifford, qui prodidit Britannice Sathenaeghaibail etiam dictum a Saxonibus ibi deuictis, uti Anglesford alii eodem sensu vocarunt. Guortimerus enim Britannus, Guortigerni filius, Hengistum cum suis Saxonibus hic aggressus est, quos incompositos, cum secundum impetum sustinere non possent, ita fugauit omnes, ut de Saxonibus actum fuisset; nisi Hengistus declinandi periculi gnarus, in Tanetum insulam se recepisset, donec inuictus ille Britannorum impetus deferueret, & integra subsidia e Germania aduenirent. Ceciderunt hoc prælio duces partium, Catigernus Britannus, & Horsa Saxo, quorum hic ad Horsted non procul hinc sepultus loco nomen reliquit, ille magnifico elatus funere contumulatus creditur prope Ailesford ubi vasta illa saxa erecta sunt, quæ imperitum vulgus a Catigerno Keith county house hodie vocat. Eadem etiam Medweagi ripa paulo superius vetusta ciuitas apponitur, Antonino Durobrus Durobriæ & alibi rectius, Duroprouæ, vel Durobrouæ. Bedæ Durobreuis, Saxonice †Hrofeaster, & Hroueceaster nunc Rochester, & Latine Roffa, a Rhof quodam, ut iudicat Beda, sed pristini illius nominis Durobrouis aliquid in se retinere mihi videtur. Nec est cur quis dubitet de nomine, cum præter Itinerariam rationem, & Bedæ auctoritatem, Durobreuis in charta foundationis ecclesie Cathedralis expresse vocetur. Hoc tamen admoneo in impressis Bedæ libris Daruernum legi, ubi in M. S. Durobreuis concipitur. In conualle sedet muris male firmis ex parte cincta, 'situ,' ut inquit Malmesbur. 'nimium angusta,' unde olim Castellum potius quam vrbs habebatur. 'Castellum' enim 'Cantuariorum' vocat Beda. Sed nunc ad occasum, orientem,

170

tem, & meridiem magnis suburbiis tumet. Casibus defuncta est non paucis. Anno Christi 676. ab Athelredo Mercio prostrata, & deinde a Danis sæpius direpta. Templum magnificum erexit Ethelbertus Rex Cantii, quod & dignitate Episcopali illustrauit (lusto primo episcopo designato) verum cum hoc vetustati cederet, Gundulphus circa annum 1080. restaurauit, & presbyteris expulsis monachos induxit, quibus iam eiectis, Decanus, & vi. præbendarii, & Scholastici sunt subrogati. Iuxta templum, flumini castrum opere, & situ satis munitum impendit, quod Odonem Episcopum Baiocensem, & Cantii Comitem extruxisse fama refert. Certum enim est illum, cum ex ancipiti rerum mutatione penderet, hoc contra Guilielmum Rufum tenuisse, & tandem rerum necessariorum inopia coactum,

non tantum castrum tradidisse, sed etiam de gradu deiec-
tum solum vertisse. Recepto sic castello Henricus primus
qui Rufo successit, 'Ecclesiae Cantuariensi & Archiepiscopis eius
custodiam, & constabulationem, in posterum possidendam concessit,'
(vt habet Florentius †Wigornensis) '& in eodem turrem sibi
construendi licentiam.' Ex quo tempore vna, & altera obsidio=
ne fatigatum fuit, sed tum maxime, cum Barones armorum
strepitu totam Angliam concuterent, & Simon de Monte=
forti acerrime, sed frustra oppugnaret, pontemque sublici=
um rescinderet. Pro quo saxeum arcuato opere spectatissi=
mum e Gallorum manubiis substruxit postea Rob. Knowles,
qui ab infimo gradu, ad summum honoris fastigium bellica
virtute conscendit. Sub hoc ponte Medweagus violentus,
& torrens æstuat, & eluctatur, statimque sedatior nauale se
exhibet, classi omnium quas Sol vidit bellico apparatu in=
structissimæ, & in omnia momenta paratissimæ, quam Di=
ua Elizabetha ad suorum tutelam, & hostium terrorem
maximis impensis ædificauit, ad eamque defendendam
propugnaculum in ripa apposuit.

Nunc Medweagus lætior, & latior crispantibus vndis
spectatu amœnissimus fœcundos agros subluit, donec
Sheppey insulæ obiectu diuisus (quam Ptolemæi Tolia=
tin esse suspicamus, vt suo loco dicemus) duobus in Tamisis
æstuarium ostiis infertur, quorum occidentale Westswale:
orientale, quod Sheppeiam a continenti abscidisse videtur
Eastswale dicitur, Bedæ Genlade, ad quod Midelton,

171

nunc Milton villa olim regia, Sittingburne diuersoriis
refertum, & Feuersham Stephani regis monasterio, & tu=
mulo olim notum adsident. Iuxta quæ puteos magnæ pro=
funditatis, hinc inde, vt etiam alibi per hunc agrum vidi=
mus, de quibus variæ feruntur opiniones. Ego autem nihil
quod †opinor habeo, nisi putei illi fuerint, e quibus cretam
albam ad stercorandos agros effoderunt olim Britanni, vt
docet Plinius. 'In centenos enim,' vt inquit ille, 'pedes puteos ege=
runt ore angustatos, sed intus spatiantes,' cuiusmodi hi ipsi sunt,
quos dicimus. Inde aperto littore, quod cochleis & ostreis
fœcundum, ostreorumque viuariis frequens, Reculuer
cernitur, Saxonice Raculf, sed Romanis olim & Britannis
Regulbium, sic enim Notitiarum libro vocatur, qui Tri=
bunum cohortis primæ Vetasiorum in excubiis hic sub lit=
toris Saxonici Comite (sic enim tunc temporis Maritima
Cantii ora vocabatur) egisse memorat: & hanc sane suam
antiquitatem effossis Imp. Rom. nummis adhuc testatur.
Ethelbertus Rex Cantii cum Cantuariam Monacho Au=
gustino concessisset, in hac sibi palatium extruxit, Bassa
Saxo †manasterio ornauit, e quo Brithwaldus octauus
Cantuariensis ecclesiae Archiepiscopus euocatus erat. Hinc
Raculfminster etiam a monasterio dictum fuit, cum Edre=
dus Edmundi senioris frater ecclesiae Christi Cantuar. do=
naret. Hodie vero nihil aliud est, quam viculus rusticus, & si
quid nominis habet, ex monasterio illo habet, cuius sacræ
turres Pyramidales vsui sunt nauigantibus, ad tænicas
quasdam, & breuia in Tamisis ostio euitanda.

Nunc ad Tanet insulam deuenimus, quam tenui inter=
currente alueo, a continente disternat Stoure flu. Be=
dæ Wantsum, qui duobus in syluestri regione, quam The
Weald vocant, disparatis fluuiolis coalescens, quam pri=
mum solidus fertur, Ashford & Wye, emporiola nota inui=
sit, inde Chilham, siue vt alii vocant Iulham, vbi castrum
antiqui rudetum est, quod Fulbertus quidam Douorensis
construxisse memoratur. Constans fama apud incolas est

lulium Cæsarem in secunda contra Britannos expeditio=ne, hic castrametatum fuisse, & inde lulham, id est lulii statio, vel domus dictum: & ab illis, nisi me fallo, facit ipsa veritas. Prodit enim Cæsar ipse, cum noctu a littore XII. millia pass. confecisset, ad flumen primum cum Britannis

172

confluxisse, ibique cum eos in sylvas coniecisset, castra munivisse, vbi crebris arboribus succisis locum egregie natura, & opera munitum habuerunt Britanni. Hic enim locus XII. a littore mill. exacte abest, nec aliud est interpositum flumen, vt necesse fuerit, ad hunc castris primis peruenisse: in quibus decem etiam dies, suos continuit, dum classem tempestate afflictam reficeret, & subduceret. Sub hoc oppido, tumulus viridanti cespite vestitus ostenditur, quo conditum multis retro ante seculis lul-laber ferunt, quem alii Gigantem, alii ðvenificam fuisse somniant. Ego vero, cum aliquid antiquæ memoriæ eo nomine latere existimarim, propemodum mihi persuaserim Laberium Durum Tribunum militum hic situm, quem interfecerunt Britanni in itinere, ab illis quæ dixi castris, & inde lul-laber tumulus dictum fuisse. Quinto hinc milliari Stoure diuiso alueo, Durouernum primariam huius prouinciæ urbem rapide alluit, nomenque fecit. Durwhern enim fluuium rapidum Britannis denotat. Ptolemæo pro Durouerno Durouernum, Bedæ & aliis Dorobernia, Saxonibus Cantwarabyrig, id est vrbs populi Cantiani, Nennio, & Britannis Caer Kent, id est vrbs Cantii, nobis Canterbury, Latinis Cantuaria dicitur. Vrbs peruetusta, Romanoque sæculo procul-dubio illustris. 'Nec adeo magna' (vt inquit Malmesburiensis) 'nec exiliter parua, quæ & terræ positione, soli affinis maxima vbertate, & integro murorum ambitu, fluuiis irrigua, nemorum opportunitate inclita, præterea maris vicinitate piscium fœcunda.' Heptarchia Saxonica efflorescente regni Cantii caput, & sedes regia fuit, donec Ethelbertus Rex eam, cum iure Regali Augustino Anglorum Apostolo concesserit, qui Archiepiscopali sede hic stabilita, Angliæ Metropolim constituit. Iam inde incredibile est, quantum floruit, cum Archiepiscopali dignitate, tum meliorum literarum schola, quam Theodorus septimus Archipræsul instituit, & quamuis Danico bello conquassata, & fortuitis incendiis magna ex parte subinde absumpta, semper tamen renata est splendidior. A Normannorum ingressu, cum Guilielmus Rufus, vt est in Annalibus S. August. 'dedisset ciuitatem Cantuariæ Episcopis ex solido, quam tenuissent antea ex beneficio,' religionis nomine, & præsulum benignitate, inprimis Simonis Sudburye, qui mœnia restaurauit, non modo respirauit: sed eo splendo=

173

ris, quasi subito accreuit, vt priuatorum ædificiorum pulchritudine, omnes Britannicæ ciuitates adæquarit, sacrarum vero ædium magna structura, & frequentia, celeberrimas quasque superarit. Inter has duæ maxime enituerunt, Christi scilicet, & Diui Augustini vtrumque Benedictinis monachis oppletum: Christi autem templum in medio quasi vrbs sinu, tanta maiestate, vt Erasmus inquit, se in cœlum erigit, vt procul etiam intuentibus religionem incutiat. Augustinus ille, quem dixi, hoc Romanorum fidelium opere, vt author est Beda, antiquitus factum recuperavit, Christo sacrauit, sedem successoribus constituit, in qua septuaginta duo iam perpetua serie sederunt Archiepiscopi. E quibus Lanfrancus & Guilielmus Corboyl superiorem Ecclesiæ partem, & qui successerunt, inferiorem,

quum illud vetustius opus incendio concidisset, ad eam qua nunc cernitur amplitudinem maximis impensis, quas superiori=bus sæculis superstitio suggessit, perduxerunt. Plurimi enim summi, infimi, confertim huc cum amplissimis donariis, ad visendum Thomæ Beckett Archiepiscopi tumulum con=fluxerunt. Qui a militibus hoc in templo trucidatus, quod se regi peruiuaci animo opposuisset, & a Pontifice Romano in Martyrum album relatus, diuino honore colebatur, tan=tisque muneribus onerabatur, vt thecæ, in qua conditæ fu=erunt eius reliquiæ, vilissima pars aurum fuerit: gemmis raris, vt inquit Erasmus, & prægrandibus collucebant, nite=bant, fulgurabant omnia, templum etiam vniuersum plus=quam regiis opibus vndique luxuriauit, Christique nomine quasi obliterato, in S. Thomæ transiit. Nec vlla alia re æ=que celebratum fuit, ac huius memoria, ac sepultura, licet aliorum sepulchra non immerito iactet, inprimis Edwardi principis Walliæ cognomento Nigri, herois bellica laude ad miraculum præstantissimi, & Henrici IIII. Regis Angliæ potentissimi. Verum has nebulas Euangelii lumen sub Henrico VIII. discussit, monachorumque examina dispulit, pro quibus in Christi templo Decanus, Archidi=aconus, Præbendarii †xv. & verbi diuini sex præcones sunt collocati, qui diuinum verbum in circumuicinis locis disse=minent. Alterum templum huius pertinacissimus æmulus sub vrbem ad Orientem sedem habuit, S. Augustini nomi=ne notum, quod ipse Augustinus, & Ethelbertus Rex, eius

174

hortatu, Petro & Paulo posuerunt, vt sepultura esset, tum Regum Cantii, tum etiam Archiepiscoporum (nondum enim in vrbe sepelire fas erat) infinitisque opibus cumula=runt, concessa Abbati officina monetaria, cum iure pecu=niam signandi. Nunc vero maxima parte suis ruinis inuo=luta, reliqua in ædes regias conuersa, quantum fuerit intu=entibus facile ostendit. Nihil attinet de altera ecclesia, huic vicina, dicere, quæ, vt habet Beda, a Romanis condita fuit, Martinoque sacrata, in qua ante Augustini aduentum, Ber=tha Ethelberti vxor Christianis sacris interesse solebat. De castro ad Australe vrbis latus fatiscens nunc propug=naculis, cum non admodum magnam præ se ferat antiqui=tatem nihil occurrit, quod memoria dignum, nisi a Norman=nis constructum fuisse. De sedis Cantuariensis dignitate, quæ olim longe amplissima fuit, nihil dicam, nisi vt superi=oribus seculis in Romana hierarchia, Archiepiscopi Can=tuarienses Pontificis Romani Legati, & veluti alterius, vt dixit Vrbanus II. orbis Patriarchæ erant; sic cum fugata esset Pontificum autoritas, in Synodo, an. 1534. decretum, vt illo titulo deposito, Primate, & Metropolitanus totius An=gliæ dicerentur. Quam dignitatem nunc gerit Reueren=dissimus in Christo pater, D. Ioannes Whitgiftus, qui & deo vitam, & Ecclesiæ operam omnem sancte consecrauit. Cæ=terum Polus Borealis supra Cantuariæ horizontem grad. LI. scrup. xvi. attollitur, Longitudo vero xxiiii. partib. LV. scrup. definitur.

A Dorobernia, Stowre statim se in vnum colligit, sim=plexque fertur, donec ad Sturemouth venit, vbi duo itine=ra dispensatis aquis sibi aperit, nomenque relinquens, Want=sume dicitur, Thanaton ab Occasu, & Austro insulam faci=ens, ab aliis enim partibus Oceano abluitur. Hanc Solinus Athanaton, & Thanaton aliis exemplaribus dixit, Britanni Inis Ruhin (teste Asserio) fortasse a Phocis, Saxo=nes Tanet, & Tanetland, nos Tenet. Terra tota est ex creta albicanti, frumentariis campis foelix, & vberi gleba,

octo mill. in longitudine extenditur, quatuor in latitudine patet, familiarum sexcentarum habebatur, pro quo in Beda mendose legitur milliarium sexcentorum. Quod vero Solinus nullo serpi angue hanc insulam scribat, & terram hinc asportatam angues necare, iam falsum deprehenditur. Pro-

175

inde etimologia illa <apo tou thanatou>, i. a serpentium morte deducta plane labascit. Hic primam exscensionem fecerunt Saxones, hic illis perfugium, hic magnas eorum strages ædidit Guortimerus Britannus, cum ad Lapidem tituli (sic in Nennio vocatur locus, quem Stonar eo fere sensu nunc vocamus, & portum fuisse constat,) præcipitata fuga in myoparones coegerit. Quo etiam loco (inquit ille) iussit se sepeliri ad compescendos, vt existimauit, Saxonum furores; quemadmodum Scipio Africanus, qui ita sibi sepulchrum statui præcepit, vt Africam prospectaret, ratus vel hoc etiam Pœnis terrori futurum. Hic etiam ad Wippedfleet, a Wippedo Saxone interfecto sic dictum, Britannos multis præliis attritos fudit Hengistus. Augustinus multis post annis in hac terram conscendit, cuius benedictioni regionis fœcunditatem ascripserunt sacerdotes creduli, Monachusque Gotcelinus exclamauit. 'Fœlix tellus Tanet, sua fœcunditate, sed fœlicissima tot deiferorum aduenarum, imo tot ciuium supernorum hospitio.' Postea Danorum direptionibus ita afflicta, qui Domneuæ monasterium, nunc Minster virginibus velatis sacratum omni crudelitatis genere polluerunt, vt non ante pacata †Normanici imperii tempora refluuerit.

Ad Australe Wantsumi ostium, quod alueum mutasse credunt, e regione insulæ apposita fuit vrbs, quæ Ptolemæo Rhutupiæ, Antonino Rhitupis Portus, Ammiانو Rhutupiæ Statio. Orosio Rhutubi portus, & ciuitas, Anglis, teste Beda, Reptacester, aliis Ruptimuth, Alfredo Beuerlacensi Richberge, hodie Richborough. Vnde hoc enatum nomen in confesso non est. Veruntamen cum a sabulo loca huic vicina Sandwich, & Sandabay denominentur: & Rhyd Tufith Britannice vadum sabulosum sonet, inde si auderem, libenter deducerem. In deiectu collis vrbs exporrecta videbatur. Arx æditiori loco Oceano imminebat, qui ita iam arenis inuectis excluditur, vt a milliari vix eam salutet. Longe celeberrima fuit, Romanis rerum potentibus. Hinc e Britannia, in continentem frequens traiectus, ad hanc Romanæ classes appulerunt, Lupicinus a Constantio in Britanniam ad coercendas Scotorum & Pictorum excursions missus, Herulos, Batavos, & Mæsicorum numeros hic exposuit. †Theodorus eti-

176

am Theodosii Augusti pater (cui statuas, testante Symmacho, equestres ob Britanniam pacatam Senatorius ordo decreuit) cum suis Herculiis, Iouiis, Victoribus, Fidentibus (†hi Romanorum erant cohortes) huc delatus est. Postea cum Saxones piratæ sublati commercii, maria bello intercluderent, & littora nostra crebris latrociniiis infestarent, Legio Secunda Augusta, quæ a Claudio Imperatore e Germania traducta, plurimos annos Iscæ Silurum in Wallia consederat, huc translata, Præpositumque suum hic habuit sub Comite littoris Saxonici. Quam præposituram fortasse gessit Clemens ille Maximus, qui in Britannia a militibus Imperator salutatus Gratianum interfecit, & postea Aquileiæ a Theodosio occisus. Hunc enim Ausonius Rhutupinum latronem in his versiculis de Aquileia dixit.

Maximus armigeri quondam sub nomine lixæ.
Fœlix quæ tanti spectatrix læta triumphī,
Fudisti †Antonio Rhutupinum Marte latronem.

Alium etiam Rhutupiarum præsidem Flauium Sanctum
obliuione in Parentalibus suis vindicauit, idem Poeta de
quo cecinit.

Sunt qui Rhu=
tupini nomine
Britanniam
omnem intelli=
gi volunt.

Militiam nullo qui turbine sedulus egit,
Præside lætatus quo Rhutupinus ager.

Claudium Contentum patrum, qui ingentem pecuni=
am fœnori inter Britannos occupatam, & vsuris multipli=
catam extraneis morte præreptus liquit, hic etiam situm,
funebri carmine prosequitur Ausonius.

Et patruos Elegeia meos reminiscere cantus,
Contentum, tellus quem Rhutupina tegit.

Post Saxonum aduentum floruerunt etiam Rhutupia.
Ethelberti enim Cantii regis Regiam fuisse memorant scrip=
tores, Bedaque ciuitatis nomine insigniuit, Inde deficere cœ=
pit, nec nomen vsquam legitur, nisi apud Alfredum Beuer=
lacensem, qui Alcherum cum Cantuaritis Danos spoliis
implicatos, ad hanc Richberge tunc dictam, fudisse prodi=
dit. Nunc vero vestigia eius omnia tempus erasit, vtque nos
doceat vrbium perinde ac hominum fata volui, semiruta
quædam arcis mœnia solum reliquit, quadrata forma sa=
bulo tenacissimo materiata. <Akropolin> esse diiudices, situ

177

adeo sublimi vlginosam in Taneto planitiem despicit, quam,
Oceanus se paulatim subtrahendo destituit. Vrbis autem
area nunc aratro proscissa nummos Romanorum aureos,
æreos, & argenteos, vetustatis sua indicia sæpenumero ege=
rit, prolemque suam paulo inferius ostendit, quam a sabulo
Sondwic dixerunt Saxones, nos vero Sandwich, e quin=
que portuum, quos vocant numero. Ad septentriones & oc=
casum mœnibus, alias aggere, flumine, & fossa munitum, o=
lim Danorum furores, superiori ætate Gallorum ignes sen=
sit; nunc incolis satis frequens licet portus ex aggestis a=
renis, & magna naue oneraria Pauli IIII. PP. in ipso alueo
depressa, non sit nauigiis magnis ferendis iusta altitudine.

Sub Rhutupis Ptolemæus Cantium promontorium,
quasi extremum huius anguli verticem statuit, quod cor=
rupte nonnullis exemplaribus Nucantium, & Acan=
tium, Diodoro Carion, nobis hodie the Foreland di=
citur. Verum omnia hæc circumquaque littora a Rhutupis
Rhutupina littora Poetis dicuntur. Hinc luuenalis cum Cur=
tium Montanum delicatulum ventriconem satyrice insec=
taretur, de ostreis ex hoc littore Romam delatis

nulli maior fuit vsus edendi
Tempestate mea, Circæis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rhutupinoue ædita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu.

Et Lucanus.

Aut vaga cum Thetis, Rhutupinaque littora feruent.

Hæc ora maritima ab Europæ continente, freto disiun=
gitur, vbi maria terram perfodisse credunt nonnulli, Soli=
nus fretum Gallicum appellat, Tacitus, & Ammianus fretum
Oceani, & Oceanum fretalem. Gratius Poeta 'Freta Morinum
dubio refluencia ponto.' Nos The strait of Calleis. Galli Pas
de Callais, Belgæ de hofden, a duobus promontoriis, vt an=

notauit doctissimus Abrah. Ortelius. Horrendis, vt vere inquit Marcellinus, hoc fretum attollitur aestibus, rursusque in speciem complanatur camporum; bis inter duos lunæ exortus affluens, bisque remeans. Attollente enim se Luna, ad Meridianum & sub Horizonte in opposito iam demersa, supra modum hic intumescit Oceanus, & immensa aqua=

178

rum moles tanto cum murmure in littora irruit, vt non sine causa ille dixerit. 'Rhutupinaque littora feruent.'

Ex aduerso in continente consederunt Morini, sic antiqua Celtarum lingua dicti, quasi maritimi, siue maris accolæ. Eorum regio nunc Conte de Guines, & Conte de Bolo= nois dicitur, duosque olim nominatissimos habuit locos, Gessoriacum, & Itium, vnde Cæsar commodissi= mum e Gallia in Britanniam esse traiectum prodidit, pluri= mique fuisse credunt, quod nunc Callais vocant, sed magnus ille & eruditus Hospitalius Galliæ Cancellarius, rei anti= quaræ peritissimus asserit: Caletum minime vetustum es= se, tantumque viculum fuisse, cuiusmodi Galli Burgado vo= cant, priusquam Philippus Comes Bononiensis, mœnibus incinxerit, non multis ante annis, quam Angli expugna= uerint. Nec vsquam legas aliquos inde in Britanniam soluis= se ante illa tempora. Itium igitur alibi quærendum existi= mo, ad Vitsan scilicet inferius prope Blanest, quod nos Whitsan vocamus, verbo ab Itio non abludente. Huc enim omnes ex hac insula transmisisse, & inde in eandem soluisse, ex historiis nostris obseruamus, vsque adeo vt Lodouicus Sanctus cum Thomam Cantuariensem inuiseret, hoc so= lum a Diuo illo nupero demississime contendit, vt inter Vit= san, & Douer nemo naufragio periret: quasi hinc inde eo tempore commodissimus fuerit traiectus, nec alibi sane hoc fretum magis coarctatur. Quamuis existimandum sit na= uigantes in transmittendo non nauigationis compendium, sed portuum opportunitatem vtroque in littore spectasse. Sic quamuis fretum angustissimum sit inter Blacness Gal= liæ, & The Nesse Angliæ: nunc tamen traiciunt inter Dubrin, & Caletum, superioribus seculis priusquam obstru= eretur Portus Vitsan, inter ðillam, & Dubrin, antea vero in= ter Rhutupias, & Gessoriacum, vnde Claudius Imp. & alii quos dixi duces in Britanniam transmiserunt. Gessori= acum hoc Plinius Portum Morinorum Britannicum vocare vi= detur, fortasse ob traiectum inde in Britanniam, Ptolemæ= us apud quem in locum Itii prorepsit, Gessoriacum nauale, qua etiam significatione, Britanni Bowlin llong vocitant. Nam Gessoriacum fuisse maritimum illud oppidum, quod Am= mianus Bononiam, Galli Bolongue, Belgæ Beunen, nos Bolen vocamus, asseueranter contra Boethium Scoticum

179

& Turnebum affirmarim; cum ex B. Rhenani autoritate, qui tabulam militarem antiquam vidit, in qua scriptum 'Gessoriacum, quod nunc Bononia,' tum itineraria ratione, quæ exacte respondet distantiae, quam inter Ambianos, & Gesso= riacum interposuit Antoninus. Sed quod instar omnium est, pyriticam Carausii factionem, quam * Gessoriacensibus mu= ris inclusam, & captam retulit Panegyricus Constantio A. dictus: alter ad Constantinum Maximum eius filium, ad * Bononiam fuisse deuictam commemorat, vt Bononia, & Gessoriacum sit necessario vnum idemque oppidum, vetus= tiusque nomen sub eo tempore exoleuisse videatur. Nec enim iudicandum est, tantos authores ad tantos principes, in huius loci notatione (recenti tum memoria) aberrauisse.

Pag. 272. ædi= tione Basiliens.

Pag. 251.

Sed quid mihi cum Gallia? Certe horum memoriam libentius vsurpauit, quod maiorum nostrorum virtus sæpissime hac in ora emicuit, qui Caletum, & Gessoriacum Gallis extorserunt, quorum hoc supplicanti Gallo, post octennium pacta pecunia reddiderunt, illud vero, annos CCXII. Gallo fremente, tenuerunt.

Nunc Britanniam plenis velis, & secundo æstu repeta- mus. A Cantio promontorio in Austrum per aliquot millia crebro colle exurgens procurrit littus. Sed cum ad Sandon, id est, tumulum arenarium, & Deale castra vicina peruenerit, quæ Henricus VIII. patrum memoria extruxit, subsidet, planumque & apertum mari obiacet. Ad Deale illud, Dole Nennius vocat (& vere opinor, iacentem enim & apertum ad mare, vel flumen planit- em sic hodie appellant Britanni nostri) Cæsarem appu- lisse constans est fama, Nenniusque suffragatur qui barba- re scripsit. 'Cæsar ad Dole bellum pugnauit,' Tabula item pen- silis in castro Douerensi, hoc idem comprobauit, fidem- que etiam facit Cæsar ipse, qui aperto, & plano littore se terram conscendisse, difficilique pugna a Britannis excep- tum memorat. Ille enim, (a cursu paulatim digredi liceat) omnibus, vt e Seneca habet Pomponius Sabinus, terra ma- rique captis, Oceanum respexit, quasi orbis Romanus non sufficeret, alium cogitauit, classeque mille nauium (sic ex Cota scribit Athenæus) vel vindictæ de Britannis, qui Gallis opem tulerunt, sumendæ, vt Strabo; vel Britannica- rum Margaritarum spe, vt Suetonius; vel gloriæ cupiditate

180

In libro de ar-
te & natura.

vt alii tradunt, inflammatus, anno ante Christum natum LIIII. & rursus sequenti, Britanniam ingressus est. Cum antea, non vt fabulatur Rog. Bachonus speculis in ora Gal- lica dispositis, & arte Catoptrica quæ latentes species mul- tiplicat; sed per speculatores, vt ipse, & Suetonius contes- tantur, portus & nauigationem explorasset. Quid hic gesse- rit ipse satis fuse literis mandauit. Sat mihi sit de illo e scrip- toribus pauca, quæ minus sunt protrita, paucis adnotare. Cum hanc insulam adiret, licet tot rebus gestis clarissimus esset, ea fuit temperantia, & a nostri seculi pompa adeo ali- enus, vt tres solummodo domesticos in famulatu haberet. Quod Cotas qui tunc secundum in castris locum obtine- bat, in Commentario suo Græco de Romanorum Republ. (authore Athenæo) prodidit. 'Cum Britanniam peragraret,' in- quit Seneca, 'nec Oceano fœlicitatem suam continere posset, audi- uit decessisse filiam, publica secum fata ðducentam: sed tam cito dolo- rem vicit, quam omnia solebat.' Hoc ipso etiam in loco cum se- cundo Britanniam aggredereetur, vt ex amissis Suetonii monumentis habet Eutropius: 'Scæua miles Cæsaris cum qua- tuor commilitonibus nauicula ante transuectus est ad scopulum in- sulæ propinquum, atque interea recessu Oceani destitutus est. Com- plures Britanni in paucos Romanos impetum faciunt: cæteri tamen qui perrari comites ipsius ðfuerant, nauigio redeunt: Scæua imper- territus manet, vndique telis obrutus: ac primo pilo restitit, postre- mo gladio rem gerit solus in plures. Cumque fessus, vulneratusque es- set, & galeam ac scutum ictibus perdidisset, cum duabus loriceis na- tauit ad castra Cæsaris, & poposcit ab imperatore veniam pro teme- ritate, quem Cæsar Centurionatus honore subuexit.' Alia Cæsaris in nostra regione gesta ex ipso petas. Nec enim ego gran- dæuum illum Britannum conueni, quem M. Aper (apud Quintilianum) in hac insula vidit, qui se fatebatur pugnæ interfuisse qua Cæsarem arma inferentem arcere littori- bus aggressi sunt. Nec ego historiam iam conscribere in a- nimo habeo. E Britannia victor reuersus, thoracem ex Bri-

tannicis margaritis factum, vti apud Plinium legimus, Veneri generici in eius templo dicauit. Captiuosque, vt author est Honoratus, nonnullos Britannicos ad officia theatralia, Aulæaque etiam, in quibus suas victorias Britannicas depinxerat, donauit. Quæ cum Britanni, qui in ipsis picti erant tollere solebant, cecinit Virgilius.

181

Purpureaque intexti tollant aulæa Britanni.

Verum iam satis exorbitauimus: ad propositum reuertamur.

Darellus.

Huic littori satis longo tractu cumuli, velut aggeres sunt, quos ventus conuerrisse nonnulli suspicantur: ego vero munitionem, seu potius naualia castra esse existimo, quæ Cæsar decem dierum labore, ne nocturnis temporibus intermissis confecit, vt in ea afflictas naues subduceret, contraque tempestates, & Britannos, qui eas frustra sunt adorti, tutaretur. Audio enim ab accolis hunc aggerem Romeworke vocari, quasi Romanorum opus. Eoque magis credo Cæsarem hic appulisse, quod prodat septimo hinc miliarium (sic enim legit liber a Fl. Constantino viro consulari emendatus) mare ita montibus angustis contineri, vti telum ex locis superioribus in littus adigi possit. Certe statim a Deale cautium eminentia (moles magnificas vocat Cicero) Crythmo quam Sampetram vocant fœcunda, per septem plus minus miliaria ad Douer procurrit, vbi dehiscit, & se transeuntibus aperit; eaque loci est natura vt perinde, ac Cæsar scribat, inter duos colles mare admiserit, & continuerit. Hoc cautium diuortio Dubris interiacet, cuius Antoninus meminit, Saxones Dofra dixerunt, nos Douer. Inditum nomen scribit ex Eadmero Darellus, quia clausus, & impeditus erat. 'Cum enim,' inquit, 'antiquis temporibus valde eo loco portuosum mare se diffunderet, necessitate vrgente, sic effectum est, vt arctioribus quibusdam limitibus constringerent.' D. Lambardus tamen nominis rationem a Duffyrha, quod Britannice locum accliuem significat, probabilius deduxit. Oppidum quod inter cautes considet (vbi portus ipse olim fuit, quum mare se insinualet, vti ex anchoris, & nauium tabulis erutis colligitur) portus opportunitate, quæ iam fere nulla est, & in Galliam traiectu magis celebratur, quam sua vel elegantia, vel frequentia. Celeberrimus enim est traiectus, cautumque olim lege erat vt nemo qui religionis gratia peregre proficisceretur, alibi traiceret. Qua Oceanum iam glareæ interiecta exclusus spectat, mœnibus præcinctum fuit, quorum pars aliqua superest. Templum habuit Martino sacrum, a Victredo Cantii rege fundatum, militum etiam Templariorum ædes, quæ iam disparuerunt, sedemque præbet Archiepiscopi Cantuariensis suffraganeo, qui cum grauioribus Archiepiscopus

182

negotiis districtus sit, quæ ordinis sunt, non quæ iurisdictionis episcopalis gerit. E colle, seu potius rupe, quæ a dextra, omni fere ex parte confragosa in admirandam altitudinem exurgit, castellum amplissimum instar vrbeculæ, opere munitissimum, & turribus frequentissimum subiecto quodammodo minatur: 'Clauem, & repagulum Angliæ' vocat Matth. Parisiensis. Vulgus hominum a Iulio Cæsare constructum somniat. A Romanis primo conditum ex lateribus illis Britannicis in sacello, quibus vsi sunt in suis substructionibus, arbitror, Præcipitante in occasum Romano imperio, Numerum Tungricanorum, qui inter auxilia Palatina numerabantur, hic in præsidio collocarunt, e quo

rum apparatu sagittæ illæ magnæ videntur, e basiliscis solitæ emitti, quas pro miraculis iam ostendunt castellani. A Saxo= num ingressu, vsque ad confectum eorum imperium, nus= quam, ne verbulum de hoc castro, siue oppido legerim, nisi in schidis quibusdam, ex tabula pensili hic asseruata, de= scriptis: quæ memorant Cæsarem, cum ad Deale appulis= set, & ad Baramdowne (hæc equitabilis est planities ad= iacens, & explicandis copiis opportuna) Britannos profli= gasset, Douerense castrum inchoasse, Aruiragum postea contra Romanos muniuisse, portumque obturasse. Arthu= rum deinde, & eius milites, nescio quos rebelles hic deuicis= se. Cæterum paulo ante Normannorum aduentum, vnicum Angliæ munimentum habitum fuit, eoque nomine, Guili= elmus Normannus Haraldum iureiurando adegit, vt hoc castrum cum puteo sibi in manus traderet, cum regnum af= fectaret: compositisque Londini rebus nihil prius habu= it, quam hoc communire, nobilibusque latifundia in Can= tio assignare, ea lege, vt præsto, cum certa militum manu ad hoc propugnandum forent, quod nunc tamen annua pecunia redimitur. Fertur etiam Philippum Augustum Gal= liæ regem dixisse, cum Ludouicus filius res nouas in Anglia moliretur, vrbesque quasdam caperet: Ne in Anglia filius habet, vbi vel pedem ponat, si Douerense castrum in potes= tatem non redegerit, vtique quod totius Angliæ munitissi= mum & Gallo opportunissimum.

In altera rupe, quæ est e regione, æquato fere iugo, ædi= ficii cuiusdam perantiqui supersunt reliquiæ. Quidam, nes= cio qua persuasus ratione, Cæsaris Aram dixit; sed †Tho. Twi=

<John Twine>

183

nus Cantuariensis, senex eruditus, qui adolescens illud ma= gna ex parte integrum vidit, Pharum fuisse mihi affirmavit, quæ nocturno nauium cursui ignes ostenderet. Cuiusmodi altera ex aduerso ad Bononiam extitit a Romanis posita, & longo post tempore a Carolo Magno restaurata, (vt testa= tur Rhegino, apud quem corrupte Phanum pro Pharum le= gitur) quæ nunc Gallis Tour d'order, Anglis The old man of Bullen vocatur. Sub hac rupe patrum memoria Henri= cus Octauus rex potentissimus, maximo labore, & infinitis impensis, defixis in ipso mari trabibus ingentibus, stilis col= ligatis, arborum, saxorumque cumulo iniecto molem, seu pi= lam, nos The Peare vocamus, eduxit, qua tutius naues subsisterent. Sed optimi regis studium inhorrescentis Oce= ani furor cito deuicit, operisque compages crebris fluctibus verberata, se laxauit, Ad quam instaurandam Diua nostra Elizabetha, magnam pecuniæ vim erogauit, & Parlamen= taria autoritas singulis Anglorum nauibus, quæ merces exportant, & important, vectigal in septennium imposuit.

Hinc cautes ex creta, veluti serie cohærentes, per v. mil= liaria perpetuum habent dorsum vsque ad Folkstone, quod olim floruisse Romanorum numismata quotidie inuenta per= suadent, quo autem nomine incertum; Ex illis turribus fuis= se probabile est, quas Romani ad Saxones arcendos, (The= odosio Iuniore regnante) 'per interualla' (vt inquit Gildas) 'ad meridianam Britannæ plagam in littore collocarunt.' Saxonibus re= ligionis nomine celebre fuit, a monasterio quod Eanswida Eadbaldi regis Cantii filia virginibus consecrauit: nunc ve= ro viculus est, eiusque partem maximam abrasit Oceanus.

Conuersa inde ad Occasum littorum fronte, ad quartum milliare Hith sedet e quinque portibus vnus, vnde & illud nomen assumpsit, quod Saxonibus portum sonat; licet nunc vix illud nomen tueatur, ob arenas accumulatas, quibus mare longius excluditur. Nec tamen ita diu est, ex quo pri=

mum emicuit ex occasu scilicet Westhythi, Oppidulum illud est ad Occasum, vicinum, portusque fuit, donec hinc se mare proauorum memoria †submoueret. Originem autem & hoc Limo viculo adiacenti debuit, qui olim celeberrimus erat portus, donec arenæ quas mare euomit, obstruxissent. Antoninus, & Notitiarum liber Portum Lemanis vocarunt, Ptolemæus <limên>, quod cum apud Græcos signifi-

184

catium sit, Librarii vt viderentur defectum supplere <kainos limên> scripserunt, Latinique interpretes 'Nouum portum' inep- te conuerterunt: cum loci nomen Limen, vel Leman fuerit, vti hodie Lime. Stationem hic sub Comite littoris Saxoni- ci Præpositus numeri Turnacensium habuit. Viaque hinc Militaris saxis constrata, ad Cantuariam pertingit, quam Romanorum fuisse opus facile diiudices, vti etiam castrum, quod in delectu collis, decem quasi iugera inclusit, mœnium- que reliquæ supersunt Britannicis lateribus, silicibus, calceque cum arena & grumis intrita sic compactæ, vt nec dum vetu- stati cesserint. Nunc vero licet portus non sit, dignitatis ta- men pristinæ vmbram non tenuem retinet. Guardianus enim portuum hic solemne iniit iusiurandum, vbi primum magi- stratum inuit, & hic de causis inter portuum incolas statis diebus cognoscit, Nonnulli existimarunt, magnum flumen hoc in loco se exonerasse, quod vnus, & alter scriptor de Le- mano fluuio, & Lemanis ostio meminerint, ad quod Danica classis anno salutis 892. appulsa fuerit. Sed falsos eos in loci descriptione opinor, tum quod nullus hic fluuius nisi tenu- is admodum, qui statim despectus emoritur: tum quod Hun- tingdonensis Archidiaconus pressæ fidei author, illam clas- sem ad Lemanam portum appulsam scribat, nec verbum de flumine habeat. Nisi quis sentiat (quocum ego sentire non ausim) Rother flu. qui sub Rhye Oceano commiscetur, hac defluxisse, cursumque paulatim immutasse, cum cam- pestris illa planities Rumney Marsh terræ accresceret. Hæc enim campestris regiuncula, quæ a Lemani x. mill. in longitudine, viii. latitud. occupat, luxurianti viriditate sa- ginandis pecoribus aptissima, maris beneficio terræ paula- tim accreuit. Vnde maris donum appellare non immerito possim, perinde ac Ægyptum fluminis Nili donum vocarit Herodotus. Mare namque vt paria faceret, quod alibi hac ora hauserit, hic reddidit, vel recedendo, vel limum subinde apponendo; adeo vt Rumney oppidum e quinque portu- um numero, quod auorum memoria mari incubuit, duobus fere milliaribus a mari nunc disiungatur. Quanta sit soli v- bertas, quam numerosa armenta pascat, quæ huc saginan- da ex vltimis Angliæ partibus mittantur: quanta arte ag- geribus contra exasperati Oceani insultus †communitur, non facile credat, qui non propius conspexerit. Sub hac,

185

terra in Ortum euecta longius procurrit, (Nesse, quasi na- sum vocamus,) cui insidet Lid, satis frequens oppidulum. Inde se reducens recta in occasum fertur, vsque ad Rotheri ostium, quo alicubi a Southsexia Cantium disternitur. Huius decursum a Southsexiæ parte superius paucis perse- quuti sumus. A Cantii parte priusquam Oxney insulam spargat, Newenden habet, quod fuisse portum illum diu quæsitum, quem Notitiarum liber Anderidam, Britan- ni Caer Andred, Saxones Andredsceaster nuncuparunt, fere persuadeor: primum quod incolæ vetustissimum fuisse oppidum, & portum asseuerent: deinde quod ad Andred- swalde syluam, cui nomen creauit, situm habeat: postremo

quod Britenden .i. Britannorum vallem, Saxones dixisse videantur, (vti etiam Segontium de quo antea vnde Selbritenden toti Centuriæ adiacenti nomen. Romanum, vt hanc oram contra Saxones piratas tuerentur, numerum Abulcorum, cum eorum præfecto, hic statuerunt. Postea tamen Saxonum furore penitus deletum concidit, Hengistus enim, cum Britannos e Cantio omnino exturbare in animo haberet, maximique sua interesse existimaret, si maioribus copiis turmas adaugeret; Ællam e Germania, cum magna Saxonum manu euocauit. Qui dum magno impetu Anderidam hanc oppugnaret, Britanni e sylua proxima insidiantes, ita eum exagitarunt, vt cum tandem post multas vltro, citroque illatas clades, partitis copiis, & Britannos in syluis fudisset, eodemque tempore in oppidum irrupisset. ita ad vindictam barbari animus exarsit, vt occisis incolis funditus euerterit. 'Locus vero desolatus multis post sæculis transeuntibus,' (vt inquit Huntingdonensis) 'ostendebatur,' donec sub Edwardo primo, fratres Carmelitæ, e Carmelo Palestinæ recens profecti, qui solitaria quærebant loca, hic monasteriolum posuerint, oppidulumque statim enatum, quod ratione veteris oppidi diruti, Newenden, id est nouum in valle oppidum, dici cœpit.

Nunc vt Cantii Comites suo ordine percenseam, (omissis Saxonibus Godwino & eius filio Wilmotto, qui non hæreditarii, sed officiarum Comites erant.) Odo vterinus Guilielmi primi frater, primus habetur e Normannico sanguine, Cantii Comes, simulque Baiocensis Episcopus, vir ingenio prauo, turbidoque, & rebus nouandis semper intento,

186

vnde post grauissimam, quam concitarat, seditionem suis sedibus, & fortunis in Anglia a nepote Guilielmo Rufo eiectus. Deinde cum Stephanus Angliæ vsufructuarius bellicosos homines beneficiis sibi astringeret, Guilielmum Imprensem Flandrum eo honore exornauit; vti etiam eadem de caussa Philippo Flandriæ Comiti, Cantii etiam titulum adiunxit Henricus Regis Henrici II. filius, cum res nouas in patrem moliretur, sed hic tantum titulo tenus Cantii Comes erat. Non longo post tempore Hubertus de Burgo, optime de Repub. meritis, suo quasi merito eundem honorem ab Henrico III. accepit, vir patriæ vere amans, & qui omnia officia, quæ a ciue optimo patria exigere possit, inter medias aduersantis fortunæ procellas cumulate præstitit. Eo sine prole defuncto, iacuit hic titulus vsque ad Edwardi II. tempora. Ille enim fratri suo iuniori, Edmundo de Woodstocke contulit, qui nepotis sui Edwardi III. tutor, falsæ, & iniquæ inuidiæ tempestatem subiit, securi percussus, quod in fratrem depositum, fraternum animum nunquam obscure tulerit, & illum e custodia liberare voluerit. Filii tamen duo, Edmundus & Ioannes successerunt, quibus sine sobole mortuis, hunc honorem eorum soror superstes in equestrem Hollandorum familiam transtulit: Thomas enim Hollandus eius maritus vxorio iure factus est Cantii Comes, quem ordine sequuti sunt Thomas eius filius, qui etiam Surriæ Dux, & bini huius filii, Henricus & Edmundus, de quibus iam ante diximus. Verum cum hæc familia sua exacta periodo intercidisset, Rex Edwardus IIII. primum Guilielmum Neuill Dominum de Fauconbridge, eoque extincto, Edwardum Grey Dominum de Ruthyn Cantiani Comitum honore adauxit, quartusque iam ab eo floret, omnibus veræ nobilitatis ornamentis longe ornatissimus.

Habet hæc prouincia paræcias 398.

.....

550

..... E regione Zelandiæ Ta=
misis nobilissimus Britanniae flu. in Oceanum illabatur, quo
loci duas insulas Toliapin & Caunum siue Con=
uennon locat Ptolemæus. Hæc nondum nomine con=
cessit, sed Canuey appellatur,

Canuey.

..... De altera vero Toliapi sententiam subinde
muto, vt Sheppey credam præter situm nihil video. Ea e=
nim satis antiquæ est memoriæ, in scriptoribus nostris O=
uium insula vbique dicta. Monasteriolum Mynster nunc vo=
cant habuit a Sexburga Ercomberti Cantiani regis vxore
anno 660. †constructam. Nunc autem possessio est clarissimi
Equitis, D. Edwardi Hobæi, qui inter pauculos Angliæ
nobiles illustre ingenium eruditus studiis excolit. Castel=
lum ad occasum prætendit munitissimum, quod Edwardus
3. posuit, & Kingsborrow, id est Regius Burgus, dixit, pro
quo Quinborrow nunc appellatur. Magis ad ortum extra
Tamisis ostium longe Tanato †insula locus vadosus areno=
sus & nauigantibus insidiosus præiacet, quem Goodwine
sands vocant, quo loci insulam anno 1097. absorptam, quæ
Comitis Goodwini patrimonium erat, produunt annales.
Forsan hæc Toliapis, ni malis pro Toliapis, Thanatis lege=
re, & nonnullis exemplaribus Toliatis legitur, de qua in
Cantio egimus. Hoc in loco immensa †aquorum vastitas ita
coarctatur, vt Oceani fauces inter Europæ Continentem,
& Britanniam non amplius xxx. mill. pass. pateant, quæ an=
gustiae Fretum aliis Britannicum, aliis Gallicum dicitur, & maris

Sheppey.

Goodwin
sands.

551

est Britannici limes quod sensim littora, quæ quasi coierant,
semouet, & terris vasta †aquæ portione cedentibus Britan=
niam & Gallias ab exortu ad occasum interluit. Ab hoc Bri=
tannicum mare incipit,

.....

Errata.

pag. 169. lin. †28. pro Hrofeaster, leg. Hrofceaster.
p. †175. li. 36. pro xv, leg. xii.

<29>
<173>

<This is Camden's description of Kent, as it appeared in the first edition of his book. (It was seen in draft by Lambard: the small corrections which he suggested can be found on pages 167–8, 171.) Apart from marking quotations and snippets of Greek, I make no attempt to imitate the multiplicity of fonts – capitals, italics, Saxon, black-letter – employed by Camden's compositor. I have simplified the typography in some other respects as well, chiefly by replacing 'ę' with 'æ' and 'ij' with 'ii', and by dropping all the accents (which sixteenth-century readers expected to find in printed Latin but modern readers do not). It would not be difficult to modernize the text more thoroughly, by replacing 'v' with 'u', 'æ' with 'ae', 'œ' with 'oe', and '&' with 'et'; but I have stopped short of doing that. The asterisks are Camden's; the daggers marking misprints and other small slips (mostly put right in the second edition) are mine. – C.F. July 2010.>